



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum omne mendacium sit peccatum mortale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

3 Item plus est significare aliquid factum quam verbo, sed falsa significatio per actum non semper est peccatum ut patet de Christo qui finxit se longius ire ut dicitur Luca. 24. Ergo multo fortius nec falsa significatio per verbum. Et tamen istud communiter vocatur mendacium, ergo &c.

4 IN contrarium est, quia omne illud quod opponitur virtuti est vitium, sed mendacium opponitur virtuti veritatis de qua agitur. 4. Ethicorum, ergo &c. Ad idem est quod dicit Aug. si quis aliquid genus mendacii peccatum non esse putauerit seipsum decipit.

5 RESPONSIO. Circa questionem videnda sunt tria. Primum est quid sit mendacium. Secundum est qualiter diuidatur. Et tertium erit utrum omne mendacium sit peccatum.

Thom. ar. 2.

6 Quantum ad primum sciendum est quod mendacium sic describitur. Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, id est, falsum dicendi. Ad mendacium enim secundum completam rationem eius duo concurrunt, vnum formaliter, scilicet intentio falsum dicendi. Unde menti secundum suum nomen est contra mentem ire, quod fit dum aliquis asserit esse quod credit non esse, vel negat esse quod credit esse, sed quia voces sunt signa intellectuum & ad hoc instituta sunt ut expriment eonceptus rerum, ideo falsa vocis significatio concurrens cum intentione falsum dicendi materialiter facit ad rationem mendacii, dicens ergo verum quod credit falsum mentitur formaliter, dicens autem falsum quod credit verum mentitur materialiter, & hoc est minimum in ratione mendacii propter defectum formalis rationis, dicens verum falsum quod credit falsum mentitur materialiter & formaliter de quo proprie verificatur dicta descriptio scilicet quod est falsa vocis significatio &c.

Thom. ar. 2.

7 Quantum ad secundum notandum est quod mendacium dupliciter potest diuidi. Vno modo secundum propriam rationem ipsius & sic cum mendacium opponatur veritati mendacium diuiditur sicut & cetera virtutes que opponuntur vitibus scilicet in mendacium quod transcendit veritatem in maius, quod circa determinatam materiam pertinet ad iactantiam, & in mendacium quod deficit a veritate in minus quod pertinet ad ironiam ut patet ex. 4. Ethic. Alio modo potest diuidi mendacium in quantum habet rationem culpae grauioris vel minus grauis, & sic diuiditur mendacium in perniciosum, officiosum, & iocosum, hoc modo ex parte finis intenti. Si enim per mendacium intendatur aliterius nocuentum sic est perniciosum. Si autem intendatur aliquid bonum aut illud est delectabile, & tunc est mendacium iocosum quod fit causa placendi, vel est bonum vniuersale & sic est mendacium per quod intenditur iuuamentum alterius vel remotio nocuenti. Et haec distinctio habetur in glossa super illud Psal. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Vbi dicitur quod sunt tria genera mendaciorum, quoddam enim fit pro salute & commodo alterius. Aliud mendacium quod fit ioco. Tertium vero quod fit ex malignitate. Primum horum est officiosum. Secundum iocosum. Tertium perniciosum. Sub hac autem trimembri diuisione continentur alia diuisio octo membrorum, quae ponitur in littera, quia sub mendacio pernicioso continentur tria genera mendaciorum. Finis enim damnosus aut est ut nocetur in spiritualibus, & sic est primum genus mendacii quod fit in doctrina fidei, aut ut nocetur in temporalibus, aut ergo ita ut alicui noceat & nulli proficit & sic est secundum genus ut mendacium falsi testis in causa criminali, aut ita ut alicui noceat & alicui proficit ut mendacium falsi testis in causa civili vel pecuniaria, & sic est tertium genus. Sub mendacio vero iocoso continentur duo, quia finis illius est delectatio vana, aut ergo delectatio propria in ipso loquente, & sic est quartum genus quod fit ex sola libidine mentiendi, aut delectatio aliena, scilicet in audiente & sic est quintum genus mendacii quod fit in intentione placendi alteri. Sub mendacio vero officioso continentur tria, quia aut quis mentitur pro conseruatione possessionis exterioris & sic est sextum genus, aut pro conseruatione vite corporalis, & sic est septimum, aut pro conseruatione anime vel salutis & sic est octauum & sic patet secundum.

Thom. ar. 2.

8 Quantum ad tertium dicendum est quod omne mendacium est peccatum. Et probatur communiter sic, omnis

actus voluntarius cadens super indebitam materiam est malus ex suo genere, sed omne mendacium est huiusmodi, ergo &c. Maior de se patet, minor probatur. Cum enim voces sint signa intellectuum, hoc est rerum, prout intelleguntur sunt ut dicitur. 1. Perihermeneias & secundum Aug. in Enchir. verba instituta sunt non ut per eas homines lefallant, sed ut cognitiones suas notificent, indebitum est & abusus quod aliquis voce utatur ad significandum id quod non tenet mente. Et ideo Philof. dicit. 4. Ethic. quod omne mendacium est prauum & fugiendum.

9 Ad idem adducit quidam nouam rationem talem, omne mendacium opponitur veritati, sed Deus est veritas, ergo omne mendacium opponitur primae veritati quae est Deus, hoc autem non potest esse sine peccato, quare &c. Sed istud nihil est, quia Deus non est omnis veritas formaliter sicut nec omnis bonitas. Et ideo non oportet quod omnis veritas cui opponitur mendacium sit veritas diuina. Et iterum si cut veritas interimitur per mendacium dicto, sic bonitas interimitur factio per corruptionem cuiuslibet rei, cui quilibet res habeat aliquid bonitatis, si ergo esset peccatum in mendacio pro quod interimitur veritas, quia est contra diuinam veritatem, ita de destructione, vel corruptione cuiuslibet rei per quam destruitur bonitas esset peccatum, quia contrariaretur diuina bonitati quod est triuolum. Siftendum est ergo in prima ratione quod est communior & melior.

10 Ad primum argumentum dicendum quod homicidium in casu in quo est peccatum est grauius quam mendacium, sed quia homicidium ex suo genere non est peccatum cum alio quod homicidium possit esse iustum secundum illud Exo. 22. Maleficos non patieris viuere. & ideo non omne homicidium est peccatum. Mendacium autem ex suo genere est peccatum ut videtur esse. Et ideo nullum mendacium potest excusari a peccato.

11 Ad secundum dicendum quod obstrictes non fuerunt remunerati pro mendacio, sed pro timore dei & beneuolentia ex qua processit illud mendacium, unde signanter dicitur Exo. 1. Et quia timerunt obstrictes Deum, & edificauit eis domos, non dicit quia mentis sunt, sed quia timuerunt.

12 Ad tertium dicendum quod non est simile de verbo & de facto, quia verbum de se institutum est ad signandum conceptum mentis, & ideo qui verbis utitur ad oppositum conceptus, abutitur, sed facta non sunt instituta ad significandum nisi figuratiue. Et ideo sicut locutio figuratiua non est vera vel falsa pro sensu quem facit, sed in sensu pro quo fit, sic illud quod fit in figura non est falsum dummodo fit in re, illud pro quo fit. Et sic fuit de Christo qui finxit se longius ire per hoc volens discipulos instruere quod ipsi adhuc longe erant a veritate.

QUESTIO SECUNDA.

Vtrum omne mendacium sit peccatum mortale.

Thom. 2. 2. q. 110. ar. 4.

Secundo queritur, utrum omne mendacium sit peccatum mortale. Et arguitur quod sic, quia illud quod excludit a regno exolorum & ducit in perditionem est peccatum mortale, sed omne mendacium est huiusmodi, igitur &c. Minor probatur per illud quod habetur Apoc. 17. Foris canes & venefici & omnis qui amat & facit mendacium. Et Sap. 1. Os quod mentitur occidit animam. & in Psal. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Item Aug. dicit in libro contra mendacium, quod perfectis preceptum est omnino non mentiri, & non solum non mentiri, sed nec mentiri velle. Sed facere contra preceptum est peccatum mortale, ergo omne mendacium in viris perfectis est peccatum mortale.

2 Item facere contra fidem seu fidelitatem videtur esse peccatum mortale. Sed omnis mentis est huiusmodi dicente Aug. de doctr. Christ. quod nemo mentiens in eo quod mentitur seruat fidem, ergo omnis mentiens videtur peccare mortaliter.

3 IN CONTRARIUM est quod dicit Aug. super per. 5. Psal. quod duo sunt genera mendaciorum in quibus non est magna culpa, sed omnis culpa mortaliter est magna, ergo non omne mendacium est peccatum mortale.

4 RE.

Inf. a. d.
41. q. 6.

RESPONSIO. Dicendum qd non omne mendacium est peccatum mortale quantum est de suo genere, sed solum mendacium perniciosum, quod probatur sic, communi ter illud solum est peccatum mortale quod contrariatur dilectioni dei, vel proximi, sed solum mendacium perniciosum ex suo genere est huiusmodi, non autem iocofum, vel officiosum, igitur &c. Maior patet, quia sicut vita spiritalis est per solam charitatem qua diligitur deus & proximus, ita nihil est peccatum mortale nisi contrarietur dilectioni dei vel proximi. Minor similiter patet. Mendacium enim perniciosum quod fit in doctrina fidei directe contrariatur dilectioni dei. Illud vero quod dicitur in nocuentum alterius spirituale, corporale, vel temporale contrariatur dilectioni proximi. Mendacium autem quod ordinatur ad bonum utile sicut est officiosum, vel ad bonum delectabile, sicut est iocofum non opponitur directe & ex suo genere, neque dilectioni dei, neque proximi. Et ideo non sunt peccata mortalia, & hoc est quod dicit Magister & quod dicit Augustinus super Psalmum. Quod sunt duo genera mendaciorum in quibus non est magna culpa, & loquuntur de mendacio officioso & iocoso. Gregorius etiam dicit quod mendacium officiosum facile credimus relaxari. Patet igitur quod quantum est ex genere facti non omne mendacium est mortale peccatum, & hoc communiter conceditur.

Quidam tamen dicunt quod licet non omne mendacium ex suo genere sit mortale peccatum, tamen in viris perfectis sine perfectione personali, siue perfectione status est mortale peccatum. Quod probant ex perfectione personali sic, perfecti perfectione personali perfecti Deo adherent, ergo non possunt ab eo recedere nisi per contemptum, sed contemptus est peccatum mortale, ergo &c. Confirmatur hoc, quia Adam in statu innocentiae ratione perfectionis personalis quam habuit non potuit primo peccare venialiter, ergo nec isti. De perfectione status probatur idem sic, perfecti perfectione status ut sunt religiosi & prelati creditur tanquam conservatoribus veritatis, & si mentiendo a veritate devent, de cetero eis non creditur, quod non est sine magno praedicio Ecclesiae & sui status, ergo omne mendacium est eis graue seu mortale peccatum. Confirmatur hoc per Augustinum in libro de mendacio, qui dicit quod perfectis praecipuum est omnino, non solum non mentiri sed nec velle mentiri. Sed facere contra praecipuum est peccatum mortale, ergo &c.

Sed istud non valet, quia facere illud quod non est contra praecipuum, nec contra votum proprium non videtur esse mortale peccatum. Omnis enim obligatio ad peccatum mortale, vel est ex praecipuo superioris, vel ex obligatione proprii voti. Sed mentiri officiose vel iocose non est contra praecipuum generaliter factum omnibus, quia tunc sic omnes mentientes peccarent mortaliter quod ipsi met non concedunt, nec est contra praecipuum factum perfectis specialiter, quia illud praecipuum nunquam legitur, nec est contra votum perfectorum, quia nullus perfectus perfectione personali vel status vouet non mentiri. Et si qui vouet caueant sibi, ergo mentiri officiose vel iocose non est viris perfectis peccatum mortale nisi forte per accidens ratione scadali annexi. Ad hoc potest referri quod Augustinus dicit perfectis praecipuum esse non solum mentiri, sed nec velle mentiri, quantum Augustinus illud non dicit sub assertionem, sed cum dubitatione, praemittit enim nisi forte, &c.

Nec rationes aliorum cogunt. Prima enim ratio equè concludit de quolibet veniali peccato quod non possit esse in perfectis viris, sicut de mendacio, & constat quod illud est falsum, cum beatus Ioannes de se & aliis dicat, Ioannes. Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c. Sancti enim viatores non sic additi sunt veritati diuinae, nec eius bonitati sicut beati qui ab ea non possunt recedere, nec sic quod semper de ea actu cogitent, vel actualiter omnia dicta & facta sua in eum ordinent, sed possunt ex consideratione vel ex alia causa ab ea discedere dicendo vel facièdo contra eam per peccatum mortale & praeter eam per peccatum veniale. Nec est simile de Adam in statu innocentiae qui non potuit primo peccare venialiter, quia illud fuit ex dono originalis iustitiae per quam omnia inferiora subdebantur suis superioribus ut non posset in eis aliqua deordinatio contingere, nisi prius deordinata voluntate a deo per peccatum mortale.

Inf. a. d.
41. q. 4.

Ad aliud dicendum quod perfectis perfectione status non creditur tanquam conservatoribus veritatis in omnibus dictis vel factis eorum. Sed in illis tantum quae ad officium conservandae veritatis spectant sicut est doctrina & iudicium in quibus si a veritate deuiarent non est dubium quin peccarent mortaliter.

Ad primum arg. dicendum per interemptionem minoris. Ad auctoritates quae videntur eam probare dicendum est quod omnes intelliguntur de mendacio permissivo, sicut gloria exponit super illud, Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Ad secundum arg. patet responsio ex dictis in corpore solutionis.

Ad tertium dicendum quod fides seu fidelitas non consuevit adhiberi nisi in his in quibus debet peccator procurare magnum emolumentum alterius, vel damnum notabile evitare. Et in his mentiri est permissivum, & peccatum mortale, non autem in omnibus generaliter.

Sententia huius distinctionis. XXXIX.
in generali & speciali.

Nunc de peritio videamus. Prius egit Magister de mendacio. Hic agit de peritio. Et diuiditur in duas, quia primo agit de peritio. Et secundo agit de iuramento quod est genus peritii ibi, Si autem quaeritur, vtrum iurare sit malum. Prima diuiditur in quatuor, quia primo ponit opinionem aliorum, & secundo suam ibi, Sed melius. Tertio mouet & voluit dubitationem incidere ibi, Cum vero quis iurat. Quarto opponit contra descriptionem ibi, Hic opponitur. Secunda pars principalis quae incipit ibi, Si autem quaeritur, diuiditur in quatuor. Quia primo quaerit vtrum liceat iurare. Secundo per quid sit iurandum ibi, Quaeitur etiam. Tertio de obligatione iuramenti ibi, Nunc superest. Quarto de peccato exigentis iuramentum ibi, Quaeitur etiam si peccat &c. Secunda istarum diuiditur in quatuor. Quia primo quaerit an licitum sit iurare per creaturam. Et secundo quis plus obligatur, vtrum ille qui iurat creaturam, an ille qui iurat per deum ibi, Si autem quaeritur. Tertio quid sit iurare per Deum & quid per creaturam ibi, Hic quaeritur. Et quarto vtrum recipiendum sit iuramentum factum per idolum ibi, Post haec quaeritur. Illa pars quae incipit ibi, Nunc superest, diuiditur in tres, quia primo ostendit quod iuramentum illicitum non est implendum. Et secundo inquit an sit periurus qui mutat huiusmodi iuramentum ibi, Qui vero mutat. Et tertio inquit secundum cuius intentionem iuramentum sit interpretandum ibi, Hoc etiam sciendum est. Vltima pars quae incipit ibi, Quaeitur etiam, diuiditur in duas. Quia primo ostendit quando peccat vel non peccat, qui exigit iuramentum. Et secundo quando sit iurandum vel non ibi, Sancta synodus de creuit. Haec est sententia in generali.

In speciali sic procedit dicens, quod peritium est mendacium iuramento firmatum. Et super hoc quaerit vtrum peritium possit esse sine mendacio. Et probat quod sic auctoritate Hieronymi, qui dicit quod vbi deest iudicium, iustitia, vel veritas ibi est peritium. Sed veritas potest deesse vbi non est mendacium ut cum aliquis iurat illud quod credit esse & tamen non est, ergo peritium potest esse sine mendacio. Et ponit opinionem quorundam dicentium non esse peritium vbi non est mendacium, quia sicut potest dici falsum sine mendacio ita potest dici falsum sine peritio, quod declaratur in litera. Tunc ponit aliam opinionem quod peritium est siue quis iuret falsum intentione fallendi, siue quis iuret verum quod putat esse falsum, siue quis iuret falsum, quod putat esse verum, quod confirmat per Augustinum de verbis Apostoli. Talis enim reus est, quia praesumit iurare quod sibi perspicuum non est. Tunc quaerit cum aliquis iurat quod verum est aestimans esse falsum quid facit ibi, rationem peritii. Et dicit quod non facit haec falsa vocis si significatio quae non est ibi, sed intentio falsum dicendi. Quae rit iterum vtrum ois qui falsum iurat, peccet. Contingit enim quod aliquis iurat se facturum aliquid quod postea non facit, est ne talis periurus statim quando iurat. Et respondet quod non, sed ex quo mutat propositum faciendi illud quod iurat. Postea quaerit vtrum iurare sit malum. Et respondet quod non, quam